DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ARTHRITIDE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM

DE

ARTHRITIDE

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU;

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOSEPHUS CARY,

Jamaicensis:

Hoc modo sæpe delicta majorum immeriti luimus.

Conspect. Med. Theoret.

Ad diem 24tum Junii horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiae Typographus.

MDCCCIX.

CAROLO ROWATT,

ARMIGERO,

HOC TENTAMEN,

ANIMI GRATI REVERENTIAEQUE

PIGNUS,

DICAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM

DE

ARTHRITIDE

COMPLECTENS.

AUCTORE JOSEPHO CARY.

Inter omnia mala quibus plectitur genus humanum, nullum pluris medici scrutari refert, nullum comitatur dirior cruciatus quam illum frequentissimum morbum *Arthritidem* ; sive artubus *regularis*, sive multiplex et abnormis instrumentis internis vitae necessariis incumbat, et valetudinem infelicis resolvat; eòque nunquam non se applicuerunt rei medicae studiosi ad ejus naturam, cau-

sas, et curationem percipiendas; et vero ex quo floruit ipse pater medicinae usque ad hodierna tempora, ingenii molimina hùc spectantia parùm profecisse, haud est inficias eundum.

Prae atrâ caligine quâ adhuc res proposita implicatur, jure laudibus prosequimur omnes conatus, etiamsi irritos, ad eam expediendam; me tantas difficultates victurum, aut id executurum quod hucusque summam ingenii aciem fefellit, nequaquam spero; neque est in animo fusius disserere de istis plurimis aerumnis arthritidis *irregularis* propriis: tantum est mihi consilium, pro viribus, hanc artubus contingentem nimirùm *regularem* tractare, et medendi rationem quam optimam compererunt nuperi, paucis absolvere.

HISTORIA MORBI.

Arthritidem olim gentem humanam tentâsse docent omnium populorum cultorum et ad hu-

manitatem redactorum historiae; quibusdam placuit ejus antiquissimam factam esse mentionem apud scripta sacra; quod verum necne sit haud statuo: eandem late inter veteres Graecos et Romanos grassatam, ex Hippocratis, Luciani, Senecae, et ornati Celsi scriptis facilè patet. Tempore Hippocratis profecto aliquanto rarior extitit; at vero sexcentis pòst annis, cultu et luxu vigentibus, admodùm invaluit, quibus noxis neque injuriâ eam tribuit Galenus: ad hanc sententiam illustrandam haud alienum esset notare rariùs arthritidem rudes et incultos torquere; imo fere ignotam esse apud Indos Americae septentrionalis, et incolas Lapponiae.

Utrumque sexum adoriens, maribus tamen quàm feminis opportunior existit; neque tamen exempla desunt harum, imo impuberum utriusque sexûs, eâ laborantium: mulieres non vacâsse nos certiores facit Seneca; id quod ad luxum et desidiam rite refert; testatur Heberdenus ipsi contigisse notare hoc morbo tortas; hodiernas ei esse

obnoxias optimè usu compertum habent medici; hic vero memoratu dignum est; solas ferè, quas corripiat esse proclives quae maximè habitu virili instructae, genere vivendi marium proprio utuntur. Neque celandum stirpe arthriticâ natas calculo urinae, eâdem natos huic morbo praecipue patere; de quâ re posteà erit disserendum.

Memoravit Loubetus se cognovisse equos, canes, aliasque belluas hoc malo torqueri: asseritque Morgagnius auctoritate quorundam veterum fretus, idem ad instar pestilentiae semel grassatum, neque sexui alterutri, aut alicui aetati, ne quidem brutis pepercisse: negat Cullenus semiviros propriè nisi vegetiores et otio deditos arthritidem male habere. Maxime contingit corporibus plenioribus otiosis, et ex Venere vinoque valetudinem fractis; porrò, ut accuratiùs loquar, potissimum eâ laborant quibus *temperamentum* est cholerico-sanguineum, grandi capite et cervice brevi instructi. Si Sydenhamo fidendum, magis periclitantur, quibus acris quam quibus pinguis subest Mi-

nerva: quod, me judice, ccrtâ lege caret; neque hoç morbo caruit *temperamentum melancholicum.* Praesertim contingit quadragenariis et paulo aetate provectioribus; rariùs impuberibus nisi haereditate ei subjectis, aut luxu et cultu corporis mollitis; imo adeo saepe jam dictam aetatem invadit, ut ea potissimum *aetas arthritica* sit nominanda.

Docent praedicta pauperes rarissimè laborare; tantum profectò ad eam praecavendam conferunt labor et temperantia ut ipsam opportunitatem haereditariam vincere possint.

DEFINITIO MORBI, ET INDICIA ARTHRITIDIS REGULARIS.

Arthritidem in duas species *regularem* et *irregularem* diviserunt scriptores; hanc triplicem Cullenus voluit, nempe *atonicam*, aut *retrocedentem*, aut *aberrantem*. Prima *regularis* vocatur,

certo tempore fere accedens, et artûs inflammationem habens: secunda, *atonica*, summâ corporis, praecipue ventriculi, imbecillitate, neque artuum affectu, insignita: tertia, *retrocedens*, quia, relictis artubus, instrumentis ad vitae flammam necessariis incumbit: quarta, *aberrans*, quia, artubus integris, partes internae plectuntur. Mihi, ut anteà dixi, consilium est praecipue de *primâ* disserere, caeteris breviter perstrictis. Sic autem definivit Cullenus; "Podagra *regularis* cum inflam-
"matione artuum satis vehementi, per aliquot
"dies perstante, et paulatim cum tumore, pru-
"ritu, et desquamatione partis, recedente."

Hic morbus gravi inflammatione articulos pedum et manuum, praesertim pedis pollicem, rarius artus majores male habet; haec interdum sed rarius utrumque simul pedem torquet; ab altero ad alterum, ab utroque ad alios artus palatur; plerumque digitos, aliquando tamen talos et carpos imo ullas pedum manuumque partes adoritur.

Nonnunquam ex improviso accedit; at longè saepiùs antecedere consuêrunt imbecillitas ventriculi, valetudo labefacta, cibi fastidium, alvus stricta, flatus, ructus, animi et corporis resolutio, artus praeter consuetudinem frigentes, praecipue ille artus torquendus; neque solito sudore madentes; artus inferiores torpentes, cum sensu saepe qualem dat spina, aut frigida affusa; musculi crurum saepe contracti, et vaenae praeter solitum turgentes.

Haec signa aliquot dies ante accessionem subesse solent; at vero mox ante eam ventriculi conditio saepe mirum in modum mutatur; nempè cibi desiderium praeter naturam intenditur.

Accessio invadere solet tertiâ noctis vigiliâ, ad quod fortasse confert calor quem moliuntur stragula; dolore pollicis pedis somni turbantur, qui sensim ingravescit, qualem inducit morsus canis aut partium intentio vel laceratio, aut alias qualem facit aqua fervida juncturis affusa; saepe

cruciatus eo usque intenditur ut aeger levissimi tactûs sit impatiens; hic status usque ad noctem sequentem perseverat; at interdiu dolores mitescunt, eo magis si artus, perflatum aëris habuerit. Post viginti quatuor horas dolor imminui coepit; totum corpus praesertim artus laborans, leni diffluit sudore; hic rubet, tumet, et quodammodo splendet; at vero non evanescunt dolores; qui indies vesperi ingravescunt, nunc hebdomadam, nunc brevius, nunc diutiùs; quo vehementior sit cruciatus, eo fere brevior est accessio. Haec signa regularem accessionem constituunt; in homine pleniore, totum corpus mali fit particeps; arteriae celerius, plenius et durius micant; subest pyrexia; sanguis emissus superficiem coriaceam ostendit; urina parca est et rufa; sub finem ex eâ subsidit crassum et fuscum; porro cibi appetitus, inter accessionem fere nullus est.

Post accessionem pes prurit et riget; deglubit cuticula; artus imbecillus motûs impotens existit; animus alacrior; et reficitur valetudo. Ine-

unte malo decessiones diuturnae sunt, aliquando biennium aut diutiùs homo integritate fruitur; dein morbus quotannis saepiusve revertitur, donec tandem adeò altis radicibus haeret corpori ut nullis rationibus sit divellenda.

Res est notissima concretiones in renibus et articulis arthriticorum esse repertas; hos ex urate sodae, illos maxime et saepius ex acido urico et urate ammoniae constare edocuit chèmia; id quod cognationem quâ calculus urinae et propositus morbus conjunguntur, quodammodo illustrat; alii aliàs, plures ineptè de horum calculorum ortu senserunt; lux nova quam e chemiâ acceperunt, vetat quo minus sententias antiquiores super hâc re proferrem.

Mihi haud verisimiles videntur solitae opiniones; conjicioque arterias in hoc morbo et calculo urinae plus solito acidi urici secernere; cujus origo prima fortasse est iste acor ventriculi utrique contingens; *huic* suspicor arterias hoc ad re-

nes acidum deferre, *illi*, ad articulos, uti, sodâ sanguinis ei accedente, calculi jam dicti fierent. Hi primo secernuntur molles et viscosi, tandem per vasa resorbentia, indurandi.

Haec opinio eo magis mihi arridet quod in utroque morbo alcalina summo sunt in dolores auxilio, acida vel acorem gignentia pessime noxae; porro quod ex unicâ stirpe uterque saepe proficiscitur.

QUAEDAM DE NATURA MORBI.

Angusti limites quibus contineor vetant quo fusiùs de hac propositi parte dissererem.

Opinio vetustissima est arthritidem ad quendam acrem humorem esse referendam, qui morans in corpore instrumentis vitae necessariis plurimùm noceret, et quem ad articulos defert vis naturae medicatrix, ubi minus noxae moliatur et facile ex

corpore ejiciatur: Hinc pessima profecta est notio, podagram nempe corpori esse amicam, omnibus rationibus promovendam, calore et indusio laneo fovendam.

Quaedam aliae sententiae huic parum distant, ei verbo dissimiles, reipsâ simillimae; scilicet ista, naturam hunc morbum moliri ad graviores praecavendos, epilepsiam, apoplexiam, &c. multò melius, me judice, confitemur originem et naturam hujus mali magnâ ex parte latere; neque celandum idem adhuc opprobium esse medicorum. Aliquid noxae e corpore per accessionem expelli fatens nego morbum ideo esse fovendum, et statuo ei summis viribus esse occurrendum. Sententiam Cullenianam prosequi vix operae pretium videtur, quippe quam de hac re et febre penè eandem fere nullus hodiernus amplectitur.

Missis igitur obscuris rebus, videndum quid de hâc re suggerant ipsa mali indicia. Hinc satis docemur accessionem arthriticam regularem inflam-

matione ligamentorum et tendinum maxime inniti; quam haud inficiandum alias magnopere referre, nempe tumorem, ruborem, et dolorem illi cum his esse communes. Propria articulorum fabrica, aliaeque causae non probe perspectae illius inflammationis proprietates gignit; hinc fortasse efficitur eam vix aut ne vix quidem in exulcerationem et gangraenam desinere.

Porro mutatio in melius, vires animi et corporis refectae quae accessionem decedentem excipiunt, indicare videntur, judice Gregorio, hunc morbum non esse generis nervosi; quippe quia omnes huc spectantes mirum in modum hominem resolvunt.

Quia haereditarius est et calculo ùrinae cognatus, conjicio eum quâdam propriâ indole et compage corporis inniti, quò fit ut mares prae feminis adoriatur, perinde atque hysteria has prae illis. At qualis sit haec indoles, et quare hinc aliorsum morbus transferatur, nequaquam statuo; et

ignorantiam profiteri malo quam inutilia commenta, quae citò delebit dies excogitare.

QUAE SINT NOXAE EXCITANTES.

Hic morbus aliquando noxas excitantes admotas plane consequitur; aliàs nullas, aut certe quales medicorum acies non capit; scilicet, ubi stirpe arthriticâ prognatis contingit.

Noxae evidentes maxime duplicis sunt generis;

I. Quae corpus implent.

II. Quae impletum debilitant.

I. *Quae corpus implent:* hae sunt otium et quies corporis; victus plenior et lautior, maxime e carnibus confectus; condita omnia; vinum meracius, et potiones omnes fermentatione genitae,

largius assumpta; quodcunque halitum cutis cohibet, alvumque contrahit, ut frigus &c; exinanitiones solitae, naturales vel abnormes, imminutae, quales haemorrhöis, humor quem eliciunt fonticuli, setacea, et similes res.

II. *Quae impletum debilitant.*—Hae sunt liquores meraciores, praesertim stillatitii liberiore manu assumpti; cibi incitantes, conditi, concoctu difficiliores; vehementior aliqua animi intentio, excogitatio aut disputatio acrior, quae vires corporis perinde atque animi frangit; somni breviores et impediti ex quâcunque causâ; Venus maturior et immodica, quam, testatus est Sydenhamus celeberrimus, per se hunc morbum intulisse junioribus, etiam parentibus integris et eo penitùs vacantibus prognatis: cibus ex pleniore parcior, quies etiam et otium subita ex nimio labore et exercitatione; cruditas acida vel acorem gignentia; denique motus animi vehementiores; quales, ira, gaudium et tristitia. Quomodo fiat ut affectus animi invicem contrarii eodem spectarent, non-

habeo compertum; quod si in animo habeatur animum corpus admodum afficere, et sensilitatem justo majorem arthriticis contingere solere, atque miro consensu cerebum et ventriculum conjungi, qui maxime hic patitur, facile intelligetur animi motus turbare et rectà vel indirectè debilitare universum corpus: Inter has causas etiam sunt multa ambulatio ultra fatigationem, cursus, venatio, &c.

Aliae noxae memorandae sunt ad neutrum genus jam dictum referendae; quales, calceamenta arctiora, quae pedibus inde compressis, accessionem genuerunt; frigus et humor pedibus admota, etiam vis externa vel ictus iisdem illatus.

Morbus jam inveterascens quasdam prae caeteris anni tempestates affectare videtur; aliis tamen alias, neque certae legi paret haec res; alii, vere et autumno maxime patiuntur; alii, hyeme, integritate per aestatem fruentes; Quomodo anni

tempora hunc praestent effectum, parum perspicio, eo magis quod res nulli certae normae obsequitur; ideoque neque frigori neque calori coeli tribui potest; haud est absimile *consuetudinem* quae permulta cùm ad sanitatem tùm etiam ad aegritudinem spectantia regit et gignit, ad hoc etiam haud minimum conferre: Hoc certè constat, rationem coeli et tempestatis multo minus podagram quam rheumatismum afficere aut movere.

NOXÆ PROCLIVITATEM CREANTES.

Neque haec rei propositae pars non densis tenebris obscuratur; nec nisi sermone jam memorato quâdam ex parte iterato tractari potest; quippe quia inter hujus morbi noxas quaedam cùm eum excitant, tùm etiam proclivitatem gignunt; hae autem sunt corpus plenius, caput magnum, temperamentum cholerico-sanguineum, aetas provectior, victus lautior, otium, quies, lux-

us, cultus, Venus ; at verò labes haereditaria maxime proclivitatem procreat. Haecce labes in propriâ irritabilitate et mobilitate corporis magna ex parte consistit; et efficere videtur ut aliae partes praeter articulos male se haberent; et nil mirum si potissimum ventriculus, prae summâ, quâ pollet sensilitate, et arcto nexu quo nervorum ope caeteris corporis cum partibus jungitur : Cum ipse laborans totum hominem semper afficit, invicem affectus ab aliis instrumentis imbecillis, multo magis torquebitur, corpore praeter consuetudinem irritabili, ut in hoc ipso morbo; hinc nausea, vomitus; hinc partim saltem alia mala et turbae, quae hic patitur.

Ex eâdem irritabilitate, cerebrum in hoc morbo malis non vacat, et noxis excitantibus admotis laeditur, quae aliter nil ei nocerent; artus potissimum plectuntur, quia eorum functiones plane docent eos admodum causis irritantibus esse subjectos.

Haec irritabilitas plane confert haud parùm ad istas varias aerumnas procreandas quae arthriticis morbo irregulari, contingunt ; variae partes affectae varia signa gignent, pro situ, officio caeterisque singularum proprietatibus: hinc ventriculum cruditas, cerebrum apoplexia vel inflammatio, cor palpitatio, pulmones inflammatio vel asthma torquebunt. Quod si junior aegrotaret et plenior, morbus in eo, id quod fas est conjectu, ad inflammationis quam imbecillitatis speciem erit proclivior.

Ex praedictis facile patebit quare arthritis non semper vegetiores, robustiores et pleniores plectat, at saepe etiam homines compagis imbecillioris, mollioris et delicatae, neque raro literarum studio acriore extenuatos, si modo infelices labes suprà comprehensae haeredes essent.

QUOMODO MALUM DIGNOSCATUR.

Huc usque absolutâ re propositâ, videndum quae mala hoc adeo simulent ut etiam rei medicae peritiori sit errandum; rheumatismus autem fere unicè ex omnibus morbis hùc referendus videtur.

Primo aspectu hi duo nexu adeo arcto et firmo conjungi videntur, ut unus et idem sint judicandi; plurimum tamen inter eos interesse clarissime docebit accuratior indagatio.

Imprimis, propositus morbus apud omnes fere regiones orbis terrarum, rheumatismus frigidas et humidas maxime grassatur; ille prevectiores aetate luxuque plenos et simul valetudinem fractos, hic potius juniores et fortiores tentare consueverunt; ille viros saepius quam mulieres, hic fere paritèr sexum utrumque invadit: ille praesertim pedum et manuum articulos, hic autem artus

majores infestare solet; huic quam illi gravior plerumque contingit pyrexia, et intentior cordis et arteriarum motus; ille rarius, hic frequenter plures artus eodem tempore male habet; hic magis et saepius quam ille, alio relicto, alium petit artum, hinc illorsum per artus palans: ille complures noxas excitantes externas, hic autem unicam fere, nimirum frigus corpori admotum agnoscit: illum fere semper, hunc vero nunquam, nisi ex alienis causis illatis, antecedit affectus ventriculi jam memoratus, illius inflammatio, ni fallor, tantum artuum ligamenta et tendines, hujus fibras etiam musculares corripit: hujus dolores, corpore quoquomodo incalescente, ingravescunt, illius autem aliquando, ex hâc ipsissimâ causâ, mitescunt; illi articulus affectus quam huic magis intumescere et rubescere consuevit, neque raro propriè splendet; insuper illi articulos malè habent calculi qui *tophi* nuncupantur, huic nequaquam: huic quam illi morbo multo majoris aegrotantis refert, quae coeli ratio, quae anni tempestas sit, considerare: hic vix unquam morbus haereditarius est habendus;

nullo proprio habitu vel indole corporis stipatur, neque aliquid, quantum scio, cum urinae calculo commune habet; nec denique certâ lege temporis accedit aut decedit.

Quantacunque esset difficultas arthritidem regularem dignoscendi, multo majore premi consuevit medicus, ubi speciem podagrae irregularis morbus induit; tanta enim et tam varia mala hìc exorientia mirum in modum ejus solertiam fallunt, acerrimumque studium desiderant: neque profecto interdum verum inveniri poterit, nisi antecedentibus noxis et indiciis, habitu corporis, et bene multis aliis rebus cognitis et observatis.

QUID SIT PRAESAGIUM.

Si junior esset laborans, sanique, ut videtur, habitûs, si ei genus vivendi temperatum et modestum fuerit, si neque Veneri neque Baccho nimis indulserit; si accessiones hucusque paucae neque

diuturnae, longis simul integritatibus interjectis, fuerint; si partes laborantes posteà parum inde debilitentur, et universum corpus solitis functionibus, et homo vitae officiis peragendis par relinquatur; si etiam artus tantummodo morbus, nempè, *regularis*, tentaverit, scire licet optimum esse augurium; non quòd sic loquens morbum nunc semper sanabilem praedicare volo; sed quod, rebus ita se habentibus, minus hominem periclitari judico. Quod si articulis relictis vel insontibus capiti, pulmonive contingeret malum aut ubivìs intùs vertatur; si senio imbecilli et luxu aut aliundè confecti, et saepius antè hoc morbo torti aegrotarent, constat ne minimam quidem spem affulgere, et omnia in praecipiti versari. Denique, ut brevi loquar, quò propriùs accederet malum ad arthritidem regularem aut irregularem, eo minus aut magis discriminis laborantibus adest.

QUAE SIT CURATIO.

Etiamsi certam hujus morbi naturam ignoremus, et varia atque abnormia indicia quibus insignitur, explicare nequeamus; nihilosecius studiosâ juvantium et laedentium observatione, si non radicitùs evertere, certè accessiones quadam ex parte lenire et aerumnas aegri mitigare possimus; in hoc morbo curando, uti in quibusdam aliis, medicus tantummodo naturae minister esse debet; nil aliud aegrotanti restat qui eum prorsùs arcere velit, quàm ut vitâ temperatè et modestè actâ exercitatione corporis idoneâ assidùè adhibitâ, solum praesidium expectaret.

Ad regularis podagrae curationem duplex esse videtur consilium:

I. Vim accessionis, dum subest, sedare, et eandem, quatenus hoc impune fieri possit, breviorem efficere.

II. Ejusdem reditui, inter integritatem obviàm ire; aut, si hoc fieri nequeat, saltèm mitiorem rarioremque moliri.

I. Non mihi est in animo varia, multa parùm utilia, medicamenta memorare, quae in medium omni in aevo protulere *empirici*; quorum nonnulla comperit usus nòn solùm, ut jam dixi, nihil proficere, at saepe plurimùm nocere, imo aliquando maturum fatum moliri. Quod ad primum consilium, vitandum est omnes noxas animum et corpus irritantes, quippe quae ad pyrexiam et calorem accessionem comitantes, augendos, plurimùm conferunt. Frigus fugiatur an admoveatur, non inter curantes convenit; quibusdam placet idem utilissimo remedio, aliis pessimae noxae; auctoritate tamen Kinglakii et proprio usu et experientiâ innixus, hoc modicum prodesse, credere inducor: optimè sub formâ aquae frigidae admoveri solet; vel articulo in hanc immisso, vel etiam linamentis eâdem humectatis loto. Praecipit jam memoratus medicus hoc auxilio assiduè esse utendum, do-

nec calor partis affectae idoneum et naturalem aequaret; quod praeceptum tutum et idoneum necne esset, non statuo.

Nequaquam novum hoc esse auxilium habendum: Celsus ornatus aliique quidam ex veteribus, de artuum vitiis disserentes, idem praeceperunt; neque non dignum est notatu Harveium immortalem idem remedium fuisse expertum, cujus ope suos cruciatus, ipse podagrâ tortus, lenierat; at vero aliquantùm suspicor frigidam diutiùs et liberiùs admotam, inflammatione introrsum ab articulis avocatâ, plurimum noxae moliri posse: Quod ad omnia alia spectat, regimine, quod *antiphlogisticum* vocatur, utendum esse, fere inter omnes medicos convenit. Si gravior sit inflammatio, aegrotans junior et plenior, neque vetarent aliae res, sanguinem elicere licebit; at vero cavendum ne saepius vena feriatur, quod non solum debilitatem, sed etiam aliquando vasorum plenitudinem moliendo nocebit: pro rebus jam dictis, plus minusve sanguinis detrahere, venam brachii incidere,

aut hirudinibus uti oportebit: levem aurarum perflatum habere debet laborantis cubiculum: summâ curâ vitandus omnis articuli laesi motus, aut quilibet intentior animi affectus; magis angue et cane etiam, nunc fugiendum cibos incitantes, conditos, potionesque meraciores; non tamen defuerunt exempla etiam inter accessionem, vini proficientis: nimirum ubi ventriculus est imbecillus, et homo antea meracius bibere assueverit: hìc profecto regimen jam dictum eo negligere oportebit, ut concedatur aegro modica vis vini et cibi ex carnibus. Frigidam bibendam praeceperunt quidam; neque forsan ineptè, si in animo habeatur, eandem in plerisque morbis febrilibus perutilem esse, nimirum arteriolarum excernentium spasmum, si qui sit, solvendo, eoque sudorem eliciendo et corpus refrigerando.

Porro ad primum consilium, optime juvant quae alvum leniter solvunt; nil fere pluris interest medicorum efficere quam alvum laxam servare: praestant autem in hunc finem radix rhei palmati,

oleum e seminibus ricini communis; aloë perfoliata, sales medii, et fortasse sapo.

Ex imbecillitate ventriculi, primo adspectu vomitum juturum opinemur; at satis liquet his parciùs et rariùs esse utendum.

Aliquantum opis pollicentur *scarificatio*, *vesicatoria*, *rubefacientia*, et caetera, at praecipue hirudines, ut antea diximus.

Si aqua frigida articulo adhibeatur, apud gentes Europae septentrionalis, optimè prodest cujus temperies istam caeli solitam fere exaequaret: Quod si incolis plagarum fervidiarum incideret morbus, praestabit fortasse paulo frigidior; quem in finem usurpantur solutiones quorundam salium mediorum.

Quae sudorem movent haud parum auxilii illatura videantur, eo magis quia halitus cuticularis articuli laborantis cohibitus accessionem praesagire et comitare solet: at vero nequaquam eliciendus est sudor per medicamenta calidiora et incitantia; quippe quae vim cordis et arteriarum intendunt; optime respondebunt potus tenuiores, aqua acetitis ammoniae, vinum tartritis antimonii, &c.

Opium etiam inter accessionem fuit in usu; et profecto, si homo senior esset, si saepius morbo laboraverit, signis febris simul sublatis auxilium promittit; quippè quia somnos conciliat, quietem molitur, et lenes movet sudores. At plerumque alienum est.

II. Proximum est ut videamus quomodo sit obviam eundum accessionis reditui.

Hìc praecipuè notandum vitam temperatè et modestè actam, exercitationem idoneam et cibos

parciores et tenues, non solum ad podagram regularem, sed etiam irregularem praecavendam, mirum in modum conferre: rite Cullenus habet haec bene servata non solùm morbum lenire, sed etiam eundem penitùs divellere, imo saepe ipsis stirpe arthriticâ natis. Rem ità se habere edocuerunt et adhuc docent plurima exempla; neque ullum meliùs vita celeberrimi Gregorii hodierni; qui stirpe arthriticâ ortus, et semel juvenis hoc morbo tortus, ratione vivendi temperatâ et exercitatione fretus, inde ejus cruciatus penitùs effugit.

Victus e frugibus foret; quales concoctu facillimae sunt, neque acorem ventriculi movent. Carnibus parciùs utendum; Lac optimo est potui; at fugiendum omnes potiones fermentatione genitas; vinum et alcohol pejùs angue et cane vitanda: neque tamen certam habet haec res legem, quae alia atque alia erit pro antecedente vitae consuetudine, habitu corporis, et multis aliis rebus. Summo opus est studio ne noxis externis laedantur articuli anteà affecti; quem in finem, vi-

tandum subitas coeli mutationes, frigus, humorem, irritamentaque omnia, veluti fatigationem.

Si magna articuli imbecillitas accessionem exceperit, perutilia erunt strigil, fricationes, lenis exercitatio quae corpus incitaret, neque fatigationem aut sudorem moveret; et calidarium vel tepidarium: neque frigidarium non valuit ad laesam partem roborandam. Denique artus oleo vel adipe frictus, si quid rigoris fuerit, iterùm sui motûs potens fiet.

Cum omnes aegrotantes ea remedia sponte quaerunt quae minus doloris movent, et praesidium praesentissimum pollicentur, nil mirum arthritide laborantes, qui vitam luxuriosam agunt, hoc genus remediorum summâ curâ explorare solere: hujusmodi autem sunt iste pessimus pulvis portlandicus, aqua calcis, alkalinae naturae; haec fere omnia sunt vitanda, praecipue pulvis jam dictus; qui naturae moliminibus renitendo (etiamsi primò levaret,) tandem fatum maturum affert.

Porro, pariter fugienda sunt omnia ista auxilia quae *specifica* habentur; eo quod miser his fretus illam vivendi rationem negligit, quae sola securitatem pollicetur.

DE PODAGRA ABNORMI.

Jam anteà dixi mihi non esse consilium fusiùs de podagrâ abnormi disserere: quamcunque speciem induat morbus, salus magna ex parte vivendi idoneâ ratione nititur; neque tamen curatione eâdem opus est inter ipsas accessiones morbi abnormis, at aliàs aliâ pro parte affectâ, signis variis, agroti habitu et vivendi consuetudine. Igitur in podagrâ atonicâ, ventriculi imbecillitati est obviam eundum, cibo e carnibus confecto, vino modico Madeirensi vel Xerensi, vel alcohole, si vinum acorem ventriculi incitaret: hic etiam roborantibus utendum, ut cinchonâ officinali, carbonate ferri &c. Si supervenirent ista mala quae podagrae retrocedentis aut aberrantis sunt pro-

pria, alia aliàs pro partis et mali ratione auxilia opus erunt; Pulmonis inflammationi, Osthmati, Apoplexiae, motui cordis abnormi, et caeteris, per remedia singulorum propria occurrendum, simul aegri aetatis, habitûs, et vitae generis habitâ ratione.

FINIS.

EXCUDEBAT C. STEWART.